



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 4. De distinctione personarum ab essentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

responsiones ex dictis, & præsertim illa vltima est consentanea Patribus, & Concilijs. Quarta verò de identitate adæquata, & inadæquata est accommodata ad respondendum in forma difficultatibus occurrentibus.

Atque hinc patet etiam responsio ad illud, quod in eadem difficultate attingebatur de forma syllogistica, de qua multa hic tractari solent. Sed breuiter responderi potest. Dico enim, formam illam integre, & formaliter seruaturam, etiam in hoc mysterio, suam habere vim, materialiter verò, vt hic dicam, reperiri in hoc mysterio quoddam singulare, & mirabile, quod in rebus creatis non inuenitur. Declaro singula. Nam forma syllogistica, aut confideratur in medio singulari, seu syllogismo expositorio, aut in medio communi. Priori modo vis eius in hoc posita est, quod medium sumatur tanquam perfecte singulare, & incommunicabile. Quod si hoc seruatur in hoc mysterio, etiam erit optima illatio. Est autem hoc proprium Trinitatis, vt in illa sit quedam res singularis, & nihilominus realiter communicabilis, & inde fit, vt illa res sola, etiam singulariter designata, non sit sufficiens medium syllogismi expositorii, quia realiter vim habet termini communis. Atque hac ratione hæc illatio, & similes. *Hæc diuinitas est Pater, & hæc diuinitas est filius, ergo filius est Pater*, non est bona, non quia forma syllogistica ibi deficiat, & non concludat, sed potius, quia non seruatur, neque applicatur forma syllogistica, quoad rem ipsam, sed quoad vocem tantum. Et ratio est, quia illud medium, licet singulare videatur, tamen realiter est commune, & ita habet vim termini communis: In quo similis argumentatio esset ex puris particularibus.

In syllogismo autem, cuius medium est terminus communis, figura argumentandi fundatur in perfecta medijs distributione, quam significauit Aristoteles per illa principia, *dici de omni, & dici de nullo*. Et hæc etiam forma vere applicata in hoc mysterio locum habet, obseruando, eandem rem singularem propter realem communicabilitatem æquiualem naturæ communi, & ided ex hac parte addendam esse distributionem, vt forma seruetur. Et propterea hæc consecutio: *Essentia non generat, Pater est essentia, ergo Pater non generat*: non valet, quia medium commune est, & non est distributum, esset autem bona illatio si diceretur. *Nulla res, quæ est essentia, generat: Pater est res, quæ est essentia, ergo Pater non generat*: tamen sicut consequens est falsum, ita & maior pars antecedentis. Et per hæc facile est, iudicare de alijs.

CAPVT IV.

Sine inter personas, & essentiam aliqua distinctio in re, vel summa identitate cum sola distinctioe rationis?

Sicut in præcedenti capite notauimus, idem est, quæserere de personis, quod de relationibus, seu proprietatibus personalibus, quomodo sint idem cum essentia, vel ab illa distinguantur, nam persona constat ex essentia, & proprietate: & ided si aliquam distinctionem potest habere ab essentia, provenire debet ex distinctione personalitatis ab eadem essentia, ac propterea vtrumque simul tractandum est.

Est ergo prima sententia, quæ affirmat, relationem, seu personam, & essentiam habere in re ipsa aliquam distinctionem actualem, non quidem tantam, quanta esse solet inter duas res omnino distinctas, sed qualis esse solet inter rem, & modum rei, qui vere fit tantum modus in re ipsa additus rei, cuius est modus. Ita plane sentit Durand. in 1. dist. 33. quæst. 1. & d. 2. q. 2. & 3. d. 1. quæst. 2. in fine. Qui Suarez. De Deo trinuno.

proinde non dubitat, hanc distinctionem vocare realem. Quia sicut omne ens (inquit) est reale, vel rationis, ita omnis distinctio: hæc autem non est distinctio rationis, vt supponit, & ided realem vocat, vt comprehendit illam, quam in metaphysica vocabimus modalem. Vnde fit, vt tantam distinctionem ponat inter Patrem, & Diuinitatem, quantum nos ponimus inter Petrum, & eius humanitatem. Hæc sententia solet etiam tribui Scoto in 1. distinct. 2. quæst. 4. & 7. & alijs locis, vbi de attributis loquitur, præsertim in 1. dist. 8. quæst. 4. Ille verò cautius locutus est, nunquam enim vocauit distinctionem realem, sed formalem, vel ex natura rei. Quod exponens dicit q. 7. s. *Sed hic restat*, vocat distinctionem virtuale, & negat esse realem actualem: ac tandem concludit posse vocari rationis. Eodem fere modo loquitur Ocham in 1. q. 1. Marfil. q. 6. Gabr. in 1. d. 2. art. 1. & art. 3. dub. 3.

Fundamentum huius sententiæ est, quia fieri non potest, vt de duobus, quæ in re ipsa non distinguuntur, contradictoria vere prædicentur: sed de Patre, & Essentia contradictoria, verificantur: nam Pater generat, Essentia non generat: ergo necesse est, vt in re ipsa aliquam distinctionem habeant. Maior patet, quia alias contradictoriæ eiusdem de eodem essent simul veræ, quod est plane impossibile: Imo nullam meliorem regulam habemus ad ostendendum esse aliquid impossibile, quam deducendo ad implicationem contradictionis. Huic fundamento adduntur alia leuiora. Secundum ergo est, quia magis distinguitur Paternitas ab Essentia, quam à se ipsa. Tertium, quod Paternitas in re ipsa est extra conceptum essentialem Diuinitatis. Denique, quia à parte rei tota ratio Paternitatis consistit in esse ad alterum: ratio vero Diuinitatis est omnino absoluta: hæc autem non possunt intelligi, nisi illa duo sint aliquo modo distincta. Propter quod dixit Augustin. 7. de Trinit. cap. 1. in quacumque re, id, quod relatiue dicitur, supponere aliud non relatiuum. Et capit. 4. inde concludit. *Pater non esse Patrem, quia Deum*, & similiter Anselmus lib. de Incar. cap. 2. dixit. *Aliud esse, esse Patrem, aliud esse DEVM*.

Alia sententia extreme contraria referri solet ex Aureolo in 1. d. 2. nimirum. Relationes necre, nec ratione distingui ab essentia, quia existimat, omnem distinctionem etiam rationis repugnare simplicitati diuinæ, quia simplicius erit id, in quo nec distinctio rationis intelligi possit: Deus autem in supremo gradu simplicitatis constituendus est, ergo. Hic verò auctor, vel æquiuoce vtitur verbis, & nihil aliud intendit, quam id quod in seq. capit. nos tractabimus, videlicet, quod Diuinitas includatur in conceptu relationis, vel dicit rem plane repugnantem omni intellectui: quod abunde probant fundamenta prioris sententiæ.

Dicendum ergo est, Diuinas personas, seu relationes non habere in re ipsa actualem aliquam distinctionem à Diuinitate, habere tamen fundamentum, vt nos possumus illa duo concipere, vt distincta, & hoc modo distingui ratione. Hanc assertionem contra Durandum, existimo esse certam, nam Scotus & alij forte in re non dissentiunt: ad tollendum autem verborum ambiguitatem, & periculum errandi, consultius est, ita loqui. Estque hæc sententia communis aliorum Theologorum, tradunt illam D. Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 2. quæst. 39. artic. 1. & late q. 8. de Potentia, & Bonauent. in 1. d. 33. art. 2. quæst. 1. & ibidem Richard. artic. 2. q. 1. Greg. q. 1. artic. 2. Agid. & Argent. d. 34. Henric. in summa art. 56. & quodlib. 5. q. 6. Capreol. Caietan. Torres, & omnes Thomistæ.

Probatur primò ex doctrina Ecclesiæ: Nam in capit. *Damnatus*, de sum. Trinit. definit Later. Concil. tres personas esse vnã essentiam, & substantiam, quod

3. *Fundamentum*

4. *opinio*

5. *Refellitur*

5. *Resolutio*

6. *Probat ex Concil.*

Mm quod

quod non esset verum, si inter eas esset modalis distinctio, ut infra ostendam. Et in fine ita concludit. Id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino. Quod vicinum verbum plane stare non potest cum distinctioe actuali. Præterea Concil. Florent. sess. 25. in quadam declaratione fidei Latinorum, ita habet, Ne ipsam eandem substantiam, re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur. Et hoc laepe repetitur in sess. 17. 8. & 29. & in illa doctrina, tam Græci, quam Latini conveniunt. Conc. etiam Rhemense ait, Et tres personas esse vnam Divinitatem, & vnamquamque proprietatem esse Deum. Quod non esset verum, si a parte rei actualiter distinguerentur proprietates à Divinitate.

7. Ex Patrib.

Secundò, argumentor ex Patribus Athana. Dialog. 1. contra Anomæos. Neque DEVS, inquit, hæc esse dicitur per compositionem, sed ex diversis considerationibus. Clarius, & aperte id docet Damasc. lib. 1. de fide cap. 9. 10. & 11. ubi inter alia inquit, Tres personas secundum omnia idem esse, accepta oppositione relationum: & infra ait: Divinitatem esse in personis, vel ut exactius inquit loquar, Personam suam divinitatem. Beatus etiam Ierem. So in Cant. & lib. 5. de Considerat. dum Gilberti sententiam impugnat, Durandi etiam opinionem falsam esse conuenit. Ex quo nonnulla verba statim referam. Nunciolum notanda sunt, quæ habet dicto lib. 5. cap. 8. Personarum proprietates non aliud quam personas, & personas ipsas non aliud, quam vnam essentiam, vnamque substantiam, & naturam diuinam fides catholica profertur. Denique Dionys. cap. 2. de diuinis nominibus hac ratione vocat diuinam naturam. Totius proprietatis indentitatem omnia superantem. Et ibidem ait, vnitatem personarum in essentia esse summam, & superare omnem coniunctionem corporalem, & spiritualem.

8. Ratio assertionis.

Rationes pro hac veritate sunt eadem quæ in secundo cap. factæ sunt, cum proportionem applicata. Prima est, quia sequitur ex contraria sententia, personam diuinam non esse summe simplicem: consequens est contra fidem: ergo. Sequela patet ex dictis in cap. allegato, & statim amplius cõmprobabitur. Minor autem patet, quia Deum esse summe simplicem definitur, in cap. Firmiter, de summa Trinitate, & late traditur in 1. p. q. 3. Idem autem dicendum est de qualibet persona, quia qualibet illarum est æque perfecta, & verus Deus: summa autem simplicitas pertinet ad perfectionem Dei, siue id sit ratione formalis significati: siue ratione fundamenti: quod nunc non refert.

9. De unitate sua font. Durandi.

Respondet Durandus, distinctionem modalem non sufficere ad compositionem: & ideo non minuere simplicitatem. Assertit exemplum, quia tres personæ secundum fidem distinctæ sunt inter se, & non minuunt simplicitatem Dei. Sed hæc non recte dicuntur. Et in primis, si exemplum illud alicuius momenti est, vel probat non sequi compositionem, etiam si relatio, & essentia realiter distinguantur: quod omnino falsum esse ostensum est: vel certe supponit, personas ipsas inter se non realiter distinguui, sed solum modaliter, sicut in creaturis distinguuntur duo modi eiusdem rei, seu concreta constituta per illos: quod tamen dicere contra fidem esset: Non est igitur ad rem exemplum illud, & ratio est, quia, ut supra dixi. Personæ, si inter se comparentur, non vniuntur ad constituendum vnum, & ideo non componunt: si verò comparentur ad essentiam in illa habent summam vnitatem, atque adeò simplicitatem. Si autem personalitas esset distincta in re ipsa ab essentia, iam non esset omnino vnum cum illa, & tamen cum ea vniatur ad constituendam personam: ergo talis persona necessario esset composita.

10.

Falsum præterea est, distinctionem modalem non sufficere ad compositionem. Tum quia persona creata, iuxta communem sententiam est composita ex natura, & personalitate, quæ non distin-

guuntur nisi modaliter. Tum etiam quia distinctio modalis est vera distinctio, imò, & realis iuxta ipsum Durand. ergo illi etiam responderet vera compositio, quia compositio nihil aliud est, quam distinctio vniu. Tum denique, quia ex terminis ipsis per se notum videtur, talem personam non esse summe simplicem, nam plane simplicior esset, si tali multiplicitate careret. Vnde eleganter Bernardus dicto lib. 5. cap. 7. Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum: mihi vero non deest, quod cogitem velius eiusmodi Deo tuo. Quæres quid? Mera simplicitas. Et ad hoc explicandum tribuit Deo superlatiuum illud, Vniusim. Eadem ratio sumitur ex Anselmo lib. de Incarnat. cap. 3. Richard. de S. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 12. dicente. Deus simplex est, & incompositus: quod autem ex multis differentibus coalescit compositum est. Vnde cap. 13. generaliter concludit. Illa igitur omnia in Divinitate accipienda, sunt identiter, vt sic dicam, & omnino indiuidue.

11. Ratio.

Secunda ratio non minus efficax est, quia supposita illa distinctione, personalitas Dei non erit essentialiter Deus, sed suo modo habebit distinctam entitatem ab essentia Dei: erit ergo quid creatum, vt supra argumentabamur, & colligit Bern. dicto cap. 7. includens, nihil posse esse in Deo, nisi quod Deus sit. Et declarat primò, quia talis modus non potest, non esse quid imperfectum, cum non attingat absolutam rationem entis, vel substantiæ. Declarat secundò, quia etiam oportebit, vt talis modus sit in Patre per veram, & realem dimanationem ab essentia: atque adeò per efficientiam, quia ex creaturis conitatur, ad veram efficientiam sufficere distinctionem modalem, & realem dimanationem ab essentia separaretur à verbo, vt in persona propria constitueretur, necessaria esset aliqua effectio, vel realis dimanatio, per quam tali naturæ proprius subsistendi modus tribueretur. Constat etiam, in motu locali veram efficientiam interuenire, cum tamen ibi non fiat, nisi modus ex natura rei distinctus à mobili.

12. Ratio.

Tertia ratio etiam hic applicanda est, quia iuxta Durandi sententiam, non solum Paternitas non esset Diuinitas, verum etiam, nec Pater posset dici ipsa diuinitas, quamuis posset dici Deus: consequens est falsum, ergo. Sequela patet, quia hac ratione Petrus non est humanitas, licet sit homo, quia suppositus Petri addit humanitati modum ab illa distinctum in re. Ita verò se habet Pater ad Deitatem, iuxta illam sententiam. Et ratio generalis est, quia pars non prædicatur de toto, neque id, quod se habet ad modum partis, vel componentis de toto composito. Minor autem patet ex dicto cap. Damianus, & ex Bernardo supra, inferente eodem modo: Ergo persona non sunt illa vna natura vna essentia, vna deitas: & subiungit. Catholicus es, hoc non dabis. Et Ilicor. lib. 1. de summo bono cap. 1. & Boetius de Trinitate dicit, Hoc esse proprium Dei, quod in ipso habens est id, quod habetur, id est, persona, quæ habet naturam, & ipsa natura.

13. Ratio.

Ex his ergo satis, vt existimo probata est illa pars, quæ negat actualem distinctionem in re inter personam, & essentiam. Et addi etiam posset inconueniens, quod alias sequitur, scilicet, esse in Deo aliquo modo quaternitatem à parte rei, quia sunt tres modi reales, & vna res à parte rei distincta ab ipsis & tres personæ, & vna natura, quæ in re non est ipse persona. Hoc autem est, quod damnatur in dicto cap. Damianus, vel certe multum ad illud accedit.

Alterà verò pars de distinctione rationis non indiget noua probatione. Nam vt vidimus eadem Concilia, iidemque Patres dum negant realem, ponunt rationis distinctionem, vel sub his terminis, vel interdum vocando illam distinctionem secundum concludere.

STYLA
LIB
D

Satis est opi-
nioni facu-
da.

considerationem, vel intellectum. Rationes autem
sufficiunt, quæ pro prima sententia adductæ sunt,
nam res est adeo nota, vt vix possimus aliter de Di-
uinis rebus loqui, vt ex sequenti etiam capiti magis
constabit. Neque hæc distinctio rationis aliquid de-
rogat diuinæ simplicitati, quia hæc simplicitas so-
lum consistit in summa identitate rei, cum omni-
bus rationibus realibus, quæ in illa sunt, seu de illa
dicuntur. Quin potius hæc distinctio indicat excel-
lentiam diuinæ simplicitatis, quæ in diuine omnem
perfectionem complectitur: vnde prouenit, vt sub
diuersis rationibus, seu conceptibus concipi possit
à nobis, qui inadæquate, & imperfecte res diuinas
concipimus. In hoc autem hæc distinctio rationis
consistit, quatenus suo modo potest actualiter con-
sistere: nam fundamentaliter, seu virtualiter posita
est in eminentia ipsius rei, quæ vnite continet ea,
quæ in creaturis diuisa sunt, sic autem multa conti-
nere, non est diminutio simplicitatis, sed potius il-
lius excellentia, & consummata perfectio.

18.
Modum loqui
disponitur

Atque hinc intelligi potest (vt quæstiones de mo-
do loquendi tollantur) si semel concedatur, in re ip-
sa non esse actualem distinctionem inter relatio-
nem, & essentiam, neque etiam in re ipsa personali-
tatem esse proprium modum, quatenus à vera enti-
tate distingui solet: in alijs solum esse differentiam
in locutione, siue illa distinctio vocetur rationis, si-
ue formalis, siue virtualis, aut fundamentalis: nam
ad hanc distinctionem omnia hæc suo modo con-
currunt: & ideo à quolibet illorum denominari po-
test: Proprie tamen, & ad tollendam omnem æqui-
uocationem, dicitur, *rationis ratiocinate*. Non vi-
detur autem simpliciter appellanda, *ex natura rei*, ni-
si cum ad dito *virtualis*, seu *fundamentalis ex natura rei*,
quia vere habet fundamentum in ipsa re ex natura
eius, non tamen completam, aut veram distinctio-
nem.

16.
Dubi.

Inquiri verò hic solet, an fundamentum hoc in-
ueniatur intra Deum solum, vel cum aliqua habi-
tudine ad distinctionem inuentam in creaturis. Sed
ad hoc breuiter dicendum est, in hoc mysterio, &
materia de qua agimus, intra DEVM ipsum suffi-
ciens fundamentum inueniri, vt nos ratione distin-
guamus communia à proprijs, quia ad hoc sufficit
ipsa realis distinctio personarum in suis proprietati-
bus, cum vnitate in natura communi. In quo est
aliquod discrimen inter hanc distinctionem rela-
tionis, & essentia, & distinctionem plurium attri-
butorum inter se, vel ab essentia: conferendo illas
distinctiones inter se. Nam licet vtraque sit tantum
distinctio rationis: tamen in attributis distinctio
rationis frequentius sumitur per habitudinem, vel
proportionem ad effectus, vel proprietates habent-
es actualem distinctionem in creaturis. Dico aut-
tem *frequentius*, & non *semper*, quia inter volunta-
tem, & intellectum diuinum, etiam concipimus
distinctionem rationis, ex his tantum, quæ intra
DEVM inuenimus, scilicet, ex reali distinctione
personarum per voluntatem, & intellectum proced-
entium.

17.
Dubi.

Quæri etiam solet, an hæc distinctio rationis fieri
possit per intellectum diuinum, aut per visionem
claram Dei, vel solum per intellectum creatum, ab-
stracte concipientem DEVM. Sed hæc quæstio est
generalis de entibus rationis. Viderique possunt
dicta in Metaphys. disput. 7. sectio. 1. & disput. 11.
tim. sectio. 2. Resolutio vnico verbo est. Quamuis
Deus cognoscat hanc distinctionem, vt factibilem
suo modo ab intellectu creato: proprie tamen non
fieri ab ipso Deo, sed ab intellectu inadæquate con-
cipiente res diuinas: quia talis distinctio, vt actua-
lis, nihil aliud est, quam denominatio à distinctis,
& inadæquate conceptibus eiusdem rei, idemque
dicendum est, de quocumque intellectu, vidente
clare Deum, prout in se est, quia intercedit eadem
Suarez: de Deo trinitate.

proportionalis ratio. Et per hæc tandem facile de-
finiri potest similis quæstio de distinctione attribu-
torum, quam Torres, & alij hic fuste tractant: sed
non habet nouam difficultatem, nec propria est hu-
ius loci, sed quæstionis 3. primæ partis, & videri pos-
sunt, quæ in priori tractatu, & in Metaphys. dixi dis-
put. 30. sect. 6.

18.

Ad argumenta prioris sententiæ vnico verbo re-
spondere possumus. Probare solum distinctionem
virtualem ex parte rei, & rationis ex parte nostra:
nam hoc sufficit, vt res illa diuersis conceptibus no-
stris obiecta, diuersimode definiatur, ac prædica-
tur. Atq; hoc etiam satis est ad contradictorias pro-
positiones formandas, vt notatur Capreol. in 1. d.
2. q. 3. art. 3. Caiet. & Torres 1. p. q. 28. art. 2. quamuis
enim diuersis modis id declaretur, tamen in re idem
dicunt. Nam si diuina essentia, & Relationes, prout
in se ipsis sunt, spectentur, nulla est ibi contradictio,
sed est vnitas quædam, scilicet, essentia, cum distinctio-
ne quadam videl. personarum: quæ duo inter se non
inuoluunt repugnantiam, vt in superioribus decla-
ratum est.

19.

Vnde etiam est ibi vna res, vere absoluta, & vere
relatiua, sine distinctione inter se, quia, vt sic, non
inuoluunt impositionem, nec repugnantiam. Quia
non est de ratione rei absoluta, vt secundum nul-
lam rationem possit habere respectum: sed solum,
vt quatenus absoluta est, illum non dicat. Et idem
est è contrario, comparando relationem ad abso-
lutum. Quia verò nos loquimur, & formamus enū-
ciationes de rebus prout à nobis conceptis: adeo,
quando præcise concipimus absolutum, de illo af-
firmamus proprietates rei absolute, & negamus,
quod est proprium relatum, & è conuerso loqui-
mur de relatione ipsa. Et hæc est ratio, ob quam ex
illis locutionibus, & contradictionibus non possit
maior distinctio concludi, quam rationis ratioci-
nate. Quod etiam in diuinis attributis videre licet,
inter quæ Durandus ipse actualem distinctionem in
re ipsa non admittit: & tamen verum est dicere, Pa-
trem generare Filium per intellectum, & non per
voluntatem, imò etiam in creaturis, vt existimo,
hoc aliquando inuenitur. Et ad hoc deservire potest
exemplum de actione & passione, quo D. Thom. ali-
quando vsus est, vt supra reculi.

CAPVT V.

*Virum diuinæ personæ, seu proprietates earum,
sint de essentia Diuinitatis.*

In hac quæstione. Prima sententia est, personali-
tates, seu relationes non solum esse diuinitatem
ipsam, sed etiam esse de essentia, & quidditate diui-
nitatem esse de essentiali cōceptu relationum. Hanc
sequuntur nonnulli expositores moderni D. Tho-
mæ, citantque eundem D. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. ad 3.
eo quod ibi asserat, *In perfectione diuini esse omnia in-
cludi*. Et similiter asserunt alia testimonia Patrum,
sed illi loquuntur de identitate summa inter relatio-
nem, & essentiam: non tamen formaliter attingunt
punctum, quod tractamus. Ex illo verò principio
fundari potest hæc sententia, quia non videtur pos-
se intelligi, vt ea, quæ in re sunt omnino idem, non
sint etiam essentialiter idem: ergo necessario vnum
esse debet de essentia alterius, & è conuerso. Et con-
firmatur, nam hac ratione dicimus, attributa om-
nia esse de essentia diuinitatis, & diuinitatem esse
de essentia ipsorum, quæ tantam habent identi-
tatem, vt in vna ratione formali includatur, si, pro-
ut in se est, spectetur. Confirmatur secundò, nam
hæc propositio, *DEVS est Pater*, est propositio per se,
quia in DEO, nihil est per accidens, ergo prædica-
tum est de essentia subiecti. Tãdem quia paternitas
est de